



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

15. De commodato

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XV.

De Commodato.

Q. 1. Commodatum quid sit, & qua ejus requi-  
sita? Resp. ad 1. Formaliter, scil. pro ipsa  
commodatione sumptum est contractus, quo  
aliqua gratis ad certum usum & tempus ea  
lege conceditur, ut illo finito eadem in specie  
restituatur.

Resp. ad 2. Requisita sunt. 1. Ut res tradatur;  
quia est contractus realis. 2. Ut detur usus gra-  
tis; nam dominium remanet penes dantem. L. 8.  
ff. h. t. & per hoc differt à deposito, quod ad cu-  
todiam tantum; à pignore, quod ad securitatem  
crediti datur; à mutuo, in quo ipsum dominium  
transfertur. 3. Ut res gratis concedatur. §. 2.  
Inst. quib. mod. re contrah. oblig. differt per hoc à  
locato, conducto, &c. 4. Ut detur ad certum  
tempus, idque vel expressè, vel tacitè determi-  
natum. L. 17. §. 3. ff. h. t. 5. Ut res sit talis, quæ  
in specie reddi possit. §. 2. Inst. quib. mod. re.

Q. 2. Quinam commodare, & qua res possint  
commodari? Resp. ad 1. Omnis & solus commo-  
dare potest, qui contrahere. L. 1. §. 2. & L. 2. ff.  
h. t. sive sit sui, sive alieni juris; sive bonæ, sive  
malæ fidei; sive dominus rei, sive usumfr. tantum  
habeat, aut nomine etiam alieno administret.  
Accipere commodatum possunt omnes, qui ex  
contractu naturaliter saltem possunt obligari.  
Schmalzgr. h. n. 13.

F 3

Resp.

*Resp.* ad 2. Commodantur res mobiles & immobiles. *L. 1. §. 1. ff. h. t. corporales & incorporeales. cit. L. profanæ & sacræ, hæ tamen ad id non nisi sacros. arg. c. 7. & 8. de rer. permut. præcipuæ & alienæ, hæ scil. pro foro externo. L. 1. §. 1. seqq. ff. h. t. interdum etiam res fungibiles, L. 3. §. 1. ff. h. t.*

*Q. 3. Quanam ex commodato in commodatario nascatur obligatio? Resp. 1.* Tenetur rem commodatam commodatario ad tempus usque præfixum relinquere. *c. un. h. t. L. 17. §. 3. ff. eod.* Excipitur casus advenientis necessitatis propriæ, non prævisæ. *arg. L. 3. C. de locat. & cond.* Potest & commodans revocare commodatum, si tempus sit quidem elapsum, commodatarius tamen re, etiamsi citra suam culpam, uti non potuit. Ratio, quia gratuita concessio extendi non debet contra mentem concedentis, quod fieret. 2. Tenetur reparare damnum per dolum aut culpam suam latam commodatario ex re commodata proveniens. *L. 18. §. 3. L. 22. ff. h. t.* 3. Tenetur ad expensas extraordinarias & graves rei commodatæ, utpote suæ, v. g. ad curandum equum, dum absque omni commodatarii culpâ est læsus.

*Q. 4. Quanam ex commodato in commodatario nascatur obligatio? Resp. 1.* Commodatarius tenetur re commodatâ ad eum præcisè usum uti, ad quem data est. *L. 5. §. 8. ff. h. t. si contra voluntatem Domini re aliter utatur, furtum committit. §. 6. Inst. de oblig. quæ ex del.* 2. Tenetur ad exactissimam diligentiam regulariter, ut infra. 3.

Rem

Rem restituere finito usu integram, id est, non deterioratam. *L. 5. §. 1. L. 18. §. 1. ff. h. t. cum omnibus fructibus & accessoriis. L. 5. §. 9. ff. h. t.*

*Resp. 2.* Præterea commodatarius tenetur de dolo, quomodocunque res fuerit commodata, ut per se patet. De dolo & culpâ latâ tantum, si in solius commodantis utilitatem, quod rarò fit, res commodetur. *L. 5. §. 10. ff. h. t.* Si in utriusque utilitatem, de culpâ latâ & levi, non tamen levissimâ. *L. 18. princ. v. at si utriusque. ff. h. t.* de culpâ etiam levissimâ tenebitur, si cedat commodatum in gratiam solius commodatarii. *c. un. h. t. L. 1. §. 4. ff. de O. & A.* De culpâ tamen merè juridicâ commodatarius non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, nisi antecedenter se obligarit, est probabile; cum damnum ita datum involuntarium sit, & pro casu fortuito computandum. Insuper de casu fortuito, si v. g. res commodata fulmine, naufragio, hostili incurfu pereat, nullo modo tenetur commodatarius *c. un. h. t. L. 5. §. 4. L. 18. princ. ff. eod.* Casus tres in *c. un.* excipiuntur; si nimirum culpa præcessit casum: si pactum intervenit, etiam generale tantum. *L. 9. §. 2. ff. locat. L. 79. princ. ff. de legat. 3.* Si mora in restituendo commissa. Item, si rem per nuncium à se electum remisit domino. *L. 10. & 11. ff. h. t.* Demum, si commodatarius rem sub æstimatione recepit, tum modò casum fortuitum præstare tenebitur, si res fuerit æstimata æstimatione faciente venditionem; in dubio tamen talis æstimatio non præsumitur. Engel *h. n. 10.*

F 4

Q. 5.

**Q. 5.** *Ex contractu commodati qualis competit actio? Resp.* Duplex: *directa* datur commodatario ejusque hæredibus adversus commodatarium ejusque hæredes ad rem commodatam restitutam finito usu, integram & salvam, aut si fuerit perdita, ad ejus æstimationem; si deteriorata, ad interesse. *L. 3. §. 1. L. 5. §. 8. L. 13. §. 1. L. 14. §. 3. ff. h. t.* Possunt & aliæ actiones commodatario competere, v. g. *actio furti*, ut habetur *L. 1. §. 6. ff. h. t.* *Actio Legis Aquilia*, si commodatarius rem deterioravit. *L. 18. §. 1. ff. h. t.* Item *actio vindicatio*, juxta *L. 9. in fin. ff. de R. V.* Commodatario & ejus hæredibus datur *actio contraria* contra commodantem & ejus hæredes, ad id quod suâ interest, re ante usum revocatâ; ad recuperandas etiam expensas in rem commodatam factas; & ad damnum vitio rei commodatæ datum reparandum. Quod insuper commodatarius, si res commodata per aliquam etiam suam culpam interiit, per compensationem debiti liquidi, quo sibi aliunde commodans est obstrictus, possit satisfacere, latè habet Pichler in Opere suo novo cui Tit. *Jus Canonicum practicè explicatum. b. t. Q. 1.*

## TITULUS XVI.

### De Deposito.

**Q. 1.** *Quid & quotuplex sit depositum? Resp.* Est contractus realis, quo res alicui gratis custodienda traditur, ut eadem in specie reddatur deponenti, quandocumque repetierit. Requiritur...